

# ORNATISSIMO VIRO,

ILLUSTRI PROGENIE NATO,

Politicis socialibusque virtutibus decorato.

Sua in litteras propensione clarissimo,

Maxima in pauperes misericordia eximio,

Societatis Economicae Amicorum Patriae

In Insula Nivaria

Socio dignissimo

D. D. JOSEPHO LLARENA ET MESA

**BARNABAS GARCIA ET CASTILLA**

Sollicitudine sua

In Seminario Conciliari Canariensi

Alumnus

Memor beneficiorum omnium

Quibus Patriam suam ipsumque beavit

# HAS THEOLOGICAS THESES

Primitias studiorum suorum

Venerabundus

Dedicat consecratque




---

Nacto Permissu: Lacuna Nivariensi: apud Michaëlem  
Angelum Bazzanti, Regalis Societatis Typographum;

# ORGANIZATIONE VIRORUM

ITALIAE PROGENIE MATRI

Populi : sociopopuli : sive interpopuli : decorsio

Sed in litteris populi : sive classis

Mixta in litteris populi : sive metropolitana eximia

Societas Ecclesiastica Americanae Parvula

In Iugis Novi

Socio distinguimus

D. D. JOSEPHO TYRANA ET MESA

BARRIARVS GARCIA ET CASTELLA

Sociliundine sed

In Seminario Concilii Consiliosi

Audita

Memor penitentiarum ordinum

Gaudiis Puris sum iustum posse

## HAB THEOLOGIAS THESEIS

Premissa distinctione sunt

Accessoriis

Decreti concordantes

✓  
✓  
✓  
✓

NEGOIUS Litterarum : Tuncas Ministrorum : abut Mispaglio

Adversarii Proximi , Regalis Societatis Thabogatapam

**A**majorum nostrorum ducta temporibus consuetudo  
 invaluit, ut cum lucubrations aliquae typis sint excluden-  
 dae, alicujus viri nomine obiectae prodeant, qui aliqua  
 apud nos celebritate claruerit, Patriaeque proceribus suis  
 recte factis adscriptus appareat. Itaque cum mihi theses  
 istas defendere commissum est, eas statim tuo nomini ins-  
 cribere cogitavi. Nam licet id, ut mihi maxime notum  
 est, tua animi moderatio refugiat, plurima tamen qui-  
 bus tibi obstringor efficiunt, ut si alium tibi in hac parte  
 anteponerem, omnium quidem hominum ingratissimus re-  
 putarer. Nam ut omittam cetera quae te simul cunctis  
 amabilem reddunt, naturalem nempe tuam in litteras pro-  
 pensionem, tuam in pauperum miseriis sublevandis pie-  
 tatem eximiam, quorum ego ipse occulatus sum testis;  
 ut beneficia omnia quibus populares meos diu beasti pe-  
 nitus obliviscar; ut missa, inquam, haec faciam plura-  
 que ejusmodi, quae te magnopere extollunt; quae in me  
 ipsum praecipua officia contulisti, jam de me id jure quasi  
 suo obligationis exigunt et imponunt. Tu namque me  
 vel à teneris ut ita dicam, unguibus, pie è matris sinu  
 abreptum, apud te benevolus adsportasti, meque le-  
 gendi et scribendi arte docendum curasti; tu deinde ut  
 aliqua latini idiomatici rudimenta imbiberem tuis hortatio-

aibus , tuis documentis , et curis , non Patris sollicitudini  
 cedens viribus semper integris procurasti ; tu me Chris-  
 tianae Religionis documenta per te ipsum docuisti , atque  
 in Sacro Confirmationis Sacramento sponsorem te pro me  
 ac vadem praestitisti ; tu demum ut incepsum opus ab-  
 solveres apud Parentem , ut me aliis scientiis imbuendum  
 in hoc Collegium miteret , auctor et hortator fuisti . Ac-  
 cedit quod ille , sub cuius auspiciis Thesum istarum de-  
 fensionem aggredior , tibi ipsi quod commodi habet , et  
 locum ipsum quem nunc in Seminario occupat omne tibi  
 acceptum refert ; cumque ab illo quidquid philosophicè  
 scio , didicerim , illud à te quodammodo didicisse confi-  
 teor . Quae cum ita sint non tan aliquem ingenii mei  
 fructum tibi offerendum me habere praeviso , quam tuae  
 animi bonitati vectigal jure merito debitum , affero per-  
 solvendum . Quod cum natura sit tenue ne tibi hac ratio-  
 ne dispiceat , necessum est ut prudentissime timeam .  
 Illud itaque veluti ab homine allatum , suscias obse-  
 cro , qui cum ut maxime enitatur , semper omnino sol-  
 vendo sit impar , sua tamen animi gratitudine nemini vel  
 facile cedat .

**VALE**

## THESES PHILOSOPHICÆ

## I.

Inter humanas disciplinas, quas scien-  
tias dicere solemus quibusque homines  
imbui solent, nulla germanâ Logicâ  
prior habenda est, et utilior. Ejus nam-  
que finis est, et scopus, ut mentem ab  
erroribus purget, eamque in veritatis in-  
vestigatione dirigat; Ad quod mentis  
operationes perceptionem scilicet, ju-  
dicium, ratiocinationem, et methodo-  
dum contemplatur, deque iis recte ef-  
ficiendis regulas tradit.

## II.

Quamvis multi post Malebranchium  
Philosophi aliud ideam, aliud percep-  
tionem appellant; nos tamen percep-

tionis et ideae nomina promiscue accipimus, eamque in mera alicujus objecti representatione sitam esse defendimus. Hinc est, quod nihilum non possit esse objectum ideae, nec consequenter impossibile ut possibile percipi.

## III.

Jam circa perceptiones suas, varias mens functiones exercet; quas inter numeratur abstractio, seu facultas quasdam objecti proprietates, aliis semotis, expendendi unde pendent ideae universales; nam nulla dantur revera universaliae seu à parte rei, ut loquuntur Scholastici, sed merae sunt mentis abstractiones.

## IV.

Judicium, quod altera est mentis functio interius consideratum actus

est simplicissimus in affirmatione vel negatione consistens, atque ad voluntatem potius quam ad intellectum pertinens, licet recentiores sint et antiqui quibus opinio ista displiceat.

## V.

Cum autem judicare assentire sit vel dissentire, à mente fieri non potest nisi rationes aliquas habeat propter quas assentiat potius quam dissentiat, quaeque à Philosophis judicii motiva appellantur. Et licet motiva haec metà-physicam, physicam, aut moralem certitudinem pariant nulla tamen est altera major.

## VI.

Motiva inter ista à Philosophis recentis locum tenet Sensus intimus seu conscientia quae motivum est meta-

physice certum primaque veritatis regula respectu judiciorum quae feruntur de rebus prout se habent in ordine ad nos. Et Evidentia, quae etiam motivum est metaphysice certum respectu judiciorum quae de rebus in ordine ad se feruntur, et ita per se est veritatis regula, ut suam certitudinem à Dei veracitate non mutuetur.

## VII.

Sensuum etiam testimonium si sit rationi consentiens, constans, et uniforme efficax pariter est veritati argumentum. Cumque haec adsint omnia dum nos corpora generatim existere docent fallitur Berkelejus, cum ea existerre negat, fallitur etiam Malebranchius cum nos ad revelationem necessario provocat; corporum namque existentia sola sensum relatione meridiana luce fit clarius.

## VIII.

Enim vero cum singuli homines omnibus et locis, et temporibus praesentes esse nequeant, et aliunde sensus non omnia referant, sepe saepius necesse est, ad aliorum testimonium confugere. Itaque de factis coevis, ac etiam de naturalibus, et supernaturalibus jam diu praeteritis ex hominum testimonio nobis certo constare poterit: Unde dubium generale effectivum tam de factis historicis quam de aliis veluti Montaigne Charron, Bayle aliorumque Pirrheticorum, et Acatalepticorum delirium prorsus rejicimus; minime vero prudentem dubitandi Cartesii methodum.

## IX.

Logico-Critices regulis instructus sic et adjutus animus, jam ad omnia Uni-

versi entia oculorum aciem intendere,  
 caque generatim contemplare facilius  
 poterit: Haec autem contemplatio à  
 Philosophis Ontologia vocatur: Prius  
 autem quod sese menti considerandum  
 offert entium possilitas est, nihil-  
 quippe à nobis percipi potest, ni prius  
 possibile concipiatur. In quo autem  
 haec possilitas sit, non constans est,  
 et unanimis Philosophorum sententia:  
**Nos vero contra Cartesianos asserimus**  
 non ab omnipotentia et libera Dei vo-  
 luntate pendere, sed ab ipsa attributo-  
 rum inter se consensione.

## X.

Nec tamen inde concludas nos or-  
 bis universi Conditoris, rerumque  
 omnium principii titulum ipsi Deo de-  
 negare: Nam contra Academicos, Epi-  
 cureos, Spinosistas Immaterialistas et  
 Atheos, vel sola ratione demonstramus

existere Ens supremum, à quo pendeat et regatur orbis universus.

## XI.

Quamvis unicum Deum esse naturalis ratio declaret, splendidam tamen hanc veritatem non pauci impugnarunt, ut Gentiles, qui in Diis multiplicandis vehementer insanierunt, et inter Christianos Manichaei qui duo fixerunt rerum principia aeterna boni alterum, et alterum mali causam. Contra quos unicūm tantum Deum esse aeternum simplicissimum sub eoque summe bono ac perfecto malum cuiusque generis consistere posse defendimus.

## XII.

Ab isto igitur unico et vero Princípio mens humanae creatur, et quidem probabilius, cum corpus cui destinatur suis organis est instructum, quae parti-

cula non est Divinae substantiae, nec animae cuiusdam mundanae, nec originatur ex traduce, ut quidam incepit judicarunt.

## XIII.

Ad hec mentem istam omnino simplicem esse omnisque materiae expertem et cum ab intrinseco tum ab extrinseco immortalem similiter propugnamus.

## XIV.

Præterea claram atque distinctam ideam mentis nostræ habemus et proinde essentialiter ac perpetuo cogitare probabilius asserimus, quamvis Lockiani Philosophi contrarium teneant.

**Q**uas defendendas suscipit, ei opem ferente D. D. Josepho Cabeza, et Mora publico Philosophiae Professore, in Generali Aula Seminarii Conciliaris Canariensis die 18. Mensis Julij anni Domini 1798.